

## X.

Notizie concernenti Pier Paolo Vergerio, premesse da  
Lodovico Antonio Muratori alle opere dello stesso  
stampate nel volume XVI della raccolta «Rerum  
5 Italicarum Scriptores».

## I.

[In «*Vitas Principum Carrariensium*», auctore Petro Paulo Vergerio, Praefatio Ludovici Antonii Muratorii,  
op. cit., vol. XVI, p. 111, Mediolani, MDCCXXX].

10 D UOS ejusdem nominis Vergerios Respublica Literaria jamdudum  
novit, eademque Patria genuit, nempe Justinopolis in Istria, quam  
Urbem *Capo d'Istria* nunc appellamus. Alter junior Petrus Paulus Verge-  
rius<sup>(1)</sup> Romae Anno MDXXX. & subsequentibus magno in honore fuit,  
quippe ob perspectam ejus eruditionem, gravitatemque consilii, in summe  
arduis negotiis adhibitus a Romanis Pontificibus Clemente VII et Paulo II  
15 (*sic*) eorumque Legatus, sive Nuntius ad Germanos, incendium a Luthero  
excitatum restinguere pro viribus est conatus. Ad Episcopatum etiam  
Patriae suae evectus, in publicis pro orthodoxa Religione Legationibus,  
nec sine laude, perseveravit. Verum, quae humanarum rerum vertigo  
est, eximius iste Vir, dum purpuram Cardinalitiam, fructumque laborum  
20 manibus poene contingeret, suspicione ebibiti Lutheranismi aspersus  
(quae accusatio iis temporibus mirabili facilitate erumpebat, aliosque  
gravissimos Viros diu vexavit) exulceratum, aut nimium paventem  
animum continere non potuit, quin ad castra Haereticorum lacrymabili  
defectione transiret.

25 Alter vero *Petrus Paulus Vergerius* senior, de quo nunc agimus, in  
eadem Urbe, & ex eadem Familia natus, magnum sibi nomen inter  
Eruditos comparavit sub finem Seculi Christianae Aerae Decimi quarti,  
atque initio sequentis. Jurisprudentiae, Eloquentiae, et Philosophiae  
laude emicuit, neque solum Latinas Literas, sed & Graecas calluit, quum  
30 Venetiis Emanueli Crysolorae Byzantino juvenis operam dedisset. Car-  
rariensibus Patavii imperantibus apprime carus magna apud illos in gratia  
vixit. Sed & *Pontificibus ejus aetatis*, ut scribit Andreas Divus Justi-  
nopolitanus in Praefatione ad Iliada Homeri, *gratissimus fuit, itemque*  
*Sigismundo Imperatori, apud quem etiam decessit, ut a doctissimis viris*

(1) Cf. doc. II, p. 465, nota 3.